

1571
1571
1571

8
4
1.12



D. g. 246

oo
see

X. ~~VII~~. 452.

ANTON. GUNTER. FRITZII,

JC. & in Academia Gryphisval-
diensi Prof. Publ.

2

PARATITLA
RECESSUUM
IMPERII,

In gratiam Studiosorum Juris
patrii

Hac formâ denuo recusa.



WITTEBERGÆ,
Apud JEREMIAM Schrey/ & Hered.
HEINR. JOH. MEIERI,
MDC XCIV.

16.94

ANTONIO
VARATTA
RESE
in g...
Hae...
WITTEBERG
MDCXIV





PRÆFATIO AUTORIS
ad Lectorem.

Anni ferè decem sunt, Lector Benevole, cum, quæ ad Recessus Imperii publicè è Cathedra docueram, rogatu Auditorum publicis committerem Academicis ventilationibus, ut eò certius ea, quæ tradideram, cum audita facile pereant, altiusq; animis infixæ haberent. Prostat illud opus disputationem publicè, illas secundâ vice relectas auctasq; magno illi operi, quod sub manibus est, Commentario scil. meo in univèrsam jus Civile inferam. Cum autem non ingrati futuram operam præviderem, si, quæ fusius & exsertius in illis disputationibus disseruntur, compendiosa brevitate contraherentur, & multa variaq; brevibus

bus pagellis exhibentur, sepositis aliis
negotiiis ego ipse hoc prestare constitui;
quod facere alios velle, forte minus re-
etè nec ad meam mentem, in audieram.
Utroq; igitur modo explicatos tibi sisto
Recessus Imperii, B. L. brevibus scil. li-
neis depictos, & fusiori penicillo elabo-
ratos. Utere pro tuo ingenio genioq;
quo velis, hoc labore tam diu, donec Re-
cessus Imperii cum perpetuis Commen-
tariis Methodo Gothofrediana textui
ipsi subjunctis, quod paratum opus est,
nisi de sit promptitudo & liberalitas Ty-
pographi, nanciscaris. B. V.

* * *
* * *

Monendus es, L. B. novam hanc edi-
tionem numeros §. §. R. I. eos sequi, qui
in duabus novissimis editionibus Codi-
cis R. I. d. an. 1660. & 1692. habentur.
Atq; ut loci allegati eò feliciter inveniri
queant, cujuslibet paragraphi verba
initialia sunt adjecta. B. V.



PARATITLARECESS.

IMPERII.

Recess. An. 1442.



Vàm turbidus Imperii
Romani status fuerit
tempore Friderici III.
Imp. quo hic præsens
Recessus fuit conditus,
non solum historiae, sed
& textus præsentis hujus
Recessus testantur; Armis enim magis ad-
suetæ Germania quàm literis, arma magis,
quàm eas tractabat. Unde, non poterant
enim fieri aliter, cæca barbaries, animo-
rum indomita elatio, Justitiæ proculca-
tio. Imò perpetuo bello infestabatur, jam
fatis aliàs viribus exutum imperium,
non quidem aperto, sed, quod erat eo
noxius, intestino & civili. Prudentis est
Principis, si vitia integrè è Rep. tollere
nequeat, ita tamen limitibus legibusque

A

CON-

constringere, ut metu poenæ in iis liberius patrandis deterreantur nefarii: Hoc eodem modo præstitit Imp. in *hoc Recessu*; qui quatuor partes præcipuas continet.

I. Agit de *Diffidatione*. Res ipsa à legibus damnata; non tamen vetita plane in hoc Recessu, sed arctissimis Legum vinculis circumscripta; de hac enim Imp. statuit;

(1.) Ut ante diffidationem is, cum quo lis est & controversia, prius iudicio sistatur, & ordinario modo conveniatur. §. zum Ersten. 1.

(2.) Ut diffidatio hæc fieri debeat modo in Aurea Bulla expresso; in ea *Tit. 17.* agitur de diffidatione; & de hoc tractat Imp. in parte posteriore *d. §. 1.*

(3.) Imperator in §. item *sol der Ackerman. 6.* excipit Rusticos, Mercatores, Aurigas, Circumforaneos, Clericos, Personas miserabiles; Item, loca quædam certa, ut Tempia, Cæmeteria, &c. quibus omnibus autoritate Imperatoria,

ria, durantibus his diffidationibus, immunitas & tutela promittitur.

(4.) Jubet Imp. §. item es soll auch. 7. ut vagi milites non tolerentur, nisi dicant aut productis testimoniis verificent, cui domino inserviant; iisque Salvum Conductum denegat, potestatem captivandi ubivis concedit.

II. Agit de *Executione Privata*. Res legibus Cæsareis omninò vetita *L. Extat. 13. D. qv. met. c. l. creditores. 7. D. ad. L. Jul. d. vi priv. L. si quis in tantam. 7. C. Unde vi.* heic autem, necessitate id svadente, qvadantenus concessa sub certis conditionibus §. und der also pfänden will. 3. & 4.

III. Agit de *Judicio Westphalico occulto* §. von dem heimlichen Gericht wegen. 9. de quo proprio tractatu heic disseritur.

IV. Agit de *Monetis & earum Valore rubr.* von dem heiml. Gericht §. item wann auch 12. & 13.

Recess. An. 1495.

Divini hujus Recessus Autorem lau-

A 2

damus

damus Maximilianum I. Cæsarem optimum & Patrem Patriæ. Durabat effrenis illa subditorum Imperii petulantia, de qua jam in primo Recessu differuimus. Non toleravit amplius inexcusatos civiles & intestinos motus hic Imp. sed pro sua Autoritate prohibuit & plenè sustulit, ingenti in Pacifragos constitutâ poenâ; ut autem hoc eò certius constitueretur firmissimè servaretur, Status Imperii Wormatiam convocavit & habita cum iis Consultatione Legem hanc sanxit, quam tractamus: Cujus sunt hæ partes Principales.

I. Est *Constitutio Supremi Judicii*. Ne petulantes in Imperio diffidatores se nequiter & contra leges agere viderentur, malitiæ peplum obduxerunt, denegatæ scil. & protractæ justitiæ querelas; Hoc hæc sanctione & erectione summi judicii & Cæsarei Consistorii ademit Imp. & ne ulterius conqverendi ansa adesset, autoritate Cæsarea erexit in Germania summum illud tribunal,

nal, quod jam maximo emolumento totius imperii in viridi adhuc stat observantia, & indies augetur. De hoc Tribunali obs. ex textu;

(1.) *Causa impulsiva*, qua exponitur in *Proem. h. Const.*

(2.) *Tempus*, annus sc. 1495. quo anno Præses fuit constitutus.

(3.) *Locus* certus in hac *Constit.* non innuitur, ex *rubr.* wo das Kammergericht gehalten werden soll. apparet, prima vice Francofurti causam fuisse ventilatam.

(4.) *Causa*, quæ in eo ventilantur, sunt vel primæ, vel secundæ Instantiæ.

(5.) *Judex & Assessores*, de quibus agitur. §. zum Ersten. 1.

(6.) *Advocati & Procuratores*, de horum statu tractatur §. Item damit auch. 4.

(7.) *Processus*, de quo instituendo explicatur in §. item es soll keine Citation. 3. & seqq.

II. *Constitutio Judicii Austregarum,*

A 3

de

de hac tractatur in §. item mit Rechtsfertigung Churf. rubr. wie Churfürsten/ Fürsten/ und. Cum Imper. in *Prac.* jussit, ut omnes Imperii cives coram supremo suo tribunali convenirentur, ibidemque causas suas tractarent; in hisce §§. à rigorosa illa Constitutione aliquantulum secessit & singulare quali præfulgidis Imperii Statibus erexit Consistorium: Hoc conventionis judicium à Dd. nostris, quod commodius non occurrerit vocabulum, vocatur *Judicium Austregarum*, ex Germanico idiomate in Latium translata voce *Austrega*, quod Germani vocant *Austrag*; idem ac *Endigung* oder *Endschafft* der *Sachen*. In hoc judicio considerand.

(1.) *Personæ*, quæ conveniuntur, hæ sunt juxta *d. alleg.* vel Electores; vel Principes; vel Principibus pares, quibus annumerantur Landgravii, Comites & Barones nonnulli, & propter insignem eminentiam Civitates Imperii.

(2.) *Processus* hic describitur in *d. alleg.*
rubr.

rubr. wie Churfürsten. §. item mit/ satis enucleatè ; quo de exsertius tractatur in Ord. Cam. *part. 2. Tit. 2.*

III. Constitutio Pacis Publicæ, aliàs vocatur *der Land-Fried.* Postquam Divus noster Maximilianus Tribunal summum erexisset, ut hoc medio modoque omni petulantia Imperii subditorum obviaret, jam convertit se ad Abolitionem plenariam sceleratæ hactenus usu obtentæ diffidationis ; & omninò vetat lites clancularias & proprio motu acceptas Invasiones, direptiones, deprædationes &c. Utque probet, quàm severè animadvertere velit in hoc Crimen, eandem irrogat pœnam, qui hisce maleficis præstant.

(1.) *Adjutorium* §. als das von zeit *1. rubr.* Friedbott. & aliàs quovis modo opem §. es soll auch solche. *rubr.* Friedbrecher.

(2.) Imò *Conatum* punit hujus nefarii delicti §. und ob jemand's. *rubr.* Die Pein der Friedbrecher.

(3.) Nullum *Personarum* admittit discrimen, sed æqvè Ecclesiasticas ut se-

culares hoc delictum committentes puni-
 nit *d. s.* als das von Zeit. & s. und ob die
 Thäter. *rubr.* von der Ueberfahrer.

(4.) Tollit omnia Privilegia, quæ
 quovis modo infringere hanc possint
 pacem s. wir setzen auch hindan. *rubr.*
 Aufhebung aller. quæ omnia nullius
 esse momenti sancit.

(5.) Severissimam huic Crimini in-
 fligit poenam, nempe *Bannum* Imperi-
 ale quo quæ gravior esse poena possit,
 vix video s. und ob jemand's. *rubr.*
 Die Pein der Friedbrecher. quam-
 vis & in Constit. von Handhabung des
 Landfriedens. hoc eodem anno pro-
 mulg. hanc Banni poenam in pecunia-
 riam, certis tamen sub conditionibus,
 commutaverit.

IV. Constitutio de communi Denario.
 Merito Princeps, evacuato *Ærario* in-
 gruente necessitate bellica aut alia ine-
 vitabili, subditos de Auxilio pecunia-
 rio compellat, fecit & hoc loco Imp.
 noster, modumque invenit colligendæ
 pecuniam. Ut juxta *as* & *libram* Col-
 lectam quivis persolvat; qui modus
 Collectandi ut accuratè satis in h. Re-
 cessu

cessu *rubr.* Königl. Sazung von gemetnem Pfennig. depingitur, ita per desuetudinem planè evuluit.

V. Constitutio de Blasphemia; agitur in hoc *Recessu rubr.* Königl. Sazung von Gotteslästerern de Crimine Læsæ Maj. divinæ; & imitatur Imp. noster Divum Justinianum *Nov. 77. cap. 1. §. 1.* Hæc autem Blasphemia committitur juxta nostrum textum.

(1.) in S S. Trinitatem; hoc Crimen omnium horrendissimum.

(2.) In B. Dei genetricem Mariam; delictum item gravissimum.

(3.) In Sanctos Martyres; delictum grave & puniendum.

VI. Constitutio de Reformatione Judicii Westphalici. De hujus Judicii origine dictum proprio Tractatu *Recess. præced. §.* Itē von der heimlichē. heic sub *rub. Reformation. Imp.* quosdam abusus, qui injuriâ temporum irrepsierant, corrigit & prohibet.

Recess. An. 1497.

Agit

Agit *de viniis*; quid Imp. de Vinorum mixtura latius hic constituit, satis est ex textu legere; cum hodie non multum hæc attendantur.

Recess. An. 1500.

Hic Rec. quem condidit Imp. Maximilianus laudatissimæ memoriæ Princeps, continet præcipuè sex partes:

I. Ordinationem Regimenti Regni:
Hujus Regimenti consistit.

(1.) *Præses* qui est ipse Imperator aut, hoc certis ex causis impedito, ejus Delegatus s. Und nach dem in 20. 1. verbis: zu uns oder wo wir. s. zur Bestendigkeit 2. verbis: bey uns / oder den so wir an unser statt setzen werden.

(2.) *Adsesores*; hos constituit 20. ex Statibus Imperii eligendos; ita quidem ut designato heic modo Electores, Principes præsentés adsint, exque Civitatibus Imperii duæ per Deputatos compareant. s. und sind die. *rubr.* wie zwanzig Personen. *seqq.*

(3.) *Aliæ Personæ*, ut sunt *Secretarii & scribe*, s. und nach dem der. *rubr.* wer Secretarien.

(4.) Lo-

(4.) *Locus* S. und nach dem. i. denominatur Urbs Noriaberga.

(5.) *Causa* quæ tractari debent in hoc Concilio, determinat Imp. in d. S. i. & S. und dieweil wie dem. *rubr.* wie alle Sachen bey dem König. specialiter. Pervideo autem Imp. nostrum, se absente, voluisse coram hoc Judicio ventilari debere causas Statum Imperii tangentes; ipse enim cum libenter bella gereret, Imp. providebat, ne quid se absente Imperium detrimenti caperet.

(6.) *Autoritas*, ea planè absoluta erat & Imperatoria d. S. und dieweil/ adeò ut Edicta sub Titulo & Sigillo Imp. divulgarentur d. S.

(7.) *Salarium*, quod constituit S. und nach dem billig. *rubr.* was des Reichs Râthen.

II. *Modum Collectæ Turcicæ*; non hæc collecta exigitur juxta formam Communis Denarii, sed alius servatur Ordo; Ut certus Personarum Numerus, singuli scilicet quadringenti homines, qui quidem bona aut immobilia possideant, Unum militem conducant & alant in
 exer-

exercitu contra Turcas ducendum §. nemlich. *rubr.* von Söldnern/nec ab hac Collecta eximit *Ecclesiasticos* §. Item ist auch angesehen. *rubr.* Das die Geistlichen.

III. Correctionem nonnullorum Articulorum Pacis Prophana §. würde sich auch. *seq. rubr.* Das Regiment mag die.

IV. Descriptionem Banni Contumacie. Dist. vulgo *Bannum in Imperiale & Civile*, illud hoc dirius & acerbius est; de hoc agit Imp. in hoc Rec. *rubr.* wie wieder den Exter außershalb friedbruchs. §. Item erklären.

V. Fusioem Explicationem Camere Imperialis. Semper enim in tam vasto diffuseqve nimis distento iudicio emergunt casus incerti & dubii; accidunt insolita & hactenus non prævisa, quæ corrigere & emendare officii est Imp. Idem in h. Rec. præstatur, sed non indiget vel dispositione vel fusiori explicatione, quod ea omnia in Ordin. Camerali de An. 1555. fusius tradantur & disponantur.

Re-

Recess. An. 1507.

In. h. Rec. agitur itidem de Ordinatione Camerali, quo de suo loco fusius.

Recess. An. 1512.

Præcipuum hujus Rec. Thema est *Indictio Novæ Collectæ*, quæ incipit §. und Damit der Arme. 14.

Et quidem in hac collecta habetur bonorum proportio ad quantitatem tributum, quam Imp. heic certam constituit; Ad hunc Collectæ modum obs.

(1.) Quod in d. §. 14. in fin. jubeat Imp. omnes homines, qui facultates & bona non habeant, dare singulos unum Scillingum.

(2.) Juxta §. item wer da hat. 18. seq. injungitur parentibus, ut pro singulis liberis duodecimum ætatis annum supergressis solvant tres Scill.

(3.) §. wer aber über 400. 15. jubet, ut Cælibes eandem solvant Collectam.

Deinde tractatur fusè satis & explicite de cujusvis circuli Capitaneo.

Denig

Denique tractatur *de Notariis*, qui & quales illi esse debeant.

Recess. An. 1518.

Præcipuum hujus Rec. Thema est novæ Collectæ indictio contra violentas Turcarum invasions, & quidem modus in §. und nehmlich diese Meinung. a. exprimitur, ut omnes illæ personæ, quæ idoneæ reputantur percipiendi Sacramentum Eucharistiæ, decimam partem auri Rhenani persolvere debeant.

Recess. An. 1521.

Carolus V. Imp. prima hæc sui Imperii habuit WORMATIÆ Comitia, in iisque hunc, quem tractamus, condidit Recessum, cujus quatuor sunt partes.

I. Tractat *de Regimento Regni*, §. und anfänglich. 1. Illi quidem novam dat auctoritatem, sed §. und sol obgemeldet. 9. sancit, illud usque ad reditum suum ex Hispania durare debere.

II. Exempliat *Ordinationem Cameralem*, sed pro otiosis hæc habenda, quod

quod in Ferdinandina Ordinatione hæc
rectius tractentur.

III. Continet explicationem *Pacis
Profane*, in qua Constitutionem ejus
pacis Wormatiæ ante hæc editam &
promulgatam extendit, corrigit, re-
stringit.

IV. Exhibet varias *Constitutiones* de
Regimento Regni, de successione Ne-
potum, de Coronatione Papali, ad hæc
solemnius suscipiendam jubet Status,
ut cogant militem ad eam dare solitum
S. item als auch hiebevör. 17. seq. S.
auch haben uns Churfürsten / Fürsten
und Stände. 30.

In hoc Recessu singulare Edictum
promulgavit Imp. de nonnullis casibus
in Materia *Successtonis ab intestato*, &
quidem constituuntur duæ leges

I. *Nepotes ex filio filiave præmorta
locū patris vel matris adsumunt, Avo
cum liberis ipsius in stirpem succedunt.*
Concordat hæc l. cum l. 2. D. de suis
& legit. Nov. 118. cap. 1. §. c. 3. Jur-
Sa-

Saxon. lib. 1. art. 5. fusius hoc persequitur Forster. 4. de Suc. ab intest. cap. 19. & 20.

2. Filii fratrum utrinque conjunctorum cum patris suis in stirpes, non in capita succedunt. Concord. Nov. 118. cap. 3. & Nov. 127. cap. 1.

Recess. An. 1522.

Hujus Rec. Thema præcipuum est *Revocatio & ulterior explicatio Pacis Profana* & continet quatuor membra.

(1.) Agit de *Ordinatione Capitanei Circularis à tit. 3.* welcher gestalt durch einen jeglichen der 10. Kreis. usque ad tit. 7. ob ein sonderer Hauptmann.

(2.) Constituit *modum persequendi violatores pacis publicæ. Tit.* So jemand wider Recht den Landfrieden. 8.

(3.) Proponitur *modus executionis contra Bannitos Tit.* Wan die Thäter erklärte Aechter. 24.

(4.) Conglomerantur *varie Constitutiones ad conservationem Pacis Profana-*

fanae spectantes, Tit. wie und bey was
Straffen. 32.

Recess. An. 1524.

Hic Rec. præcipuè continet no-
vem partes.

I. *Agit de sustentatione Camere Im-
perii.* §. und erstlich / nach dem uns. 1.
dicitque Orator Imp. transactum esse in-
ter Principes Imp. ut biennio inseqven-
ti ita illud sustentetur, ut media pars
à Statibus, altera ab Imp. conferatur,
illudque certas ob causas Eslingam
transferatur.

II. *De Regimento Regni.* §. Desgleichen
haben sich vielgedachte. 4. priores de eo
Constitutiones factæ confirmantur, & §.
und nach dem die sechs Churfürsten
cir. fin. 6. ordo sessionis certus constitui-
tur.

III. *De querelis Statuum, ob immodi-
cam Collectarum impositionem.* §. Item
wie wohl auff neckst gehaltenen. 21. qui-
bus injungitur. §. Damit aber dennoch
obgemeldtem. 22. ut has querelas ad Re-
gimentum Regni deferant.

B

IV. De

IV. De privatis Principum litibus agitur §. Item, als etwann viel von Churfürsten. 23. & statuitur, ut viri prudentes, quorum etiam heic nomina exprimuntur, eligantur ad eas decidendas.

V. De Executione sententiarum §. und nach dem wir sampt Churfürstē. 24.

VI. De Monetaria re corrigenda. §. Der gleichen hat der Münz halber. 25.

VII. De Monopoliis non ferendis §. Item: dieweil durch unser instruction. 27.

VIII. De rebus Ecclesiasticis §. und ist darauff Churfürsten. 29.

IX. De auxilio Turcico. §. Item. als auch auff gegenwärtigen. 30.

Recess. An. 1525.

Erat in Hispania Carolus V. cum hæc Comitia Augustæ habenda à Commissariis Cæsareis indicerentur; nec exitum ea habuere utilem, quod præcipui Imperii Principes præsentēs nec adfuerint, nec suos cum plena potestate Legatos miserint: Ea propter prædicti Commissarii alia indixerunt Comitia.

Spi-

Spiræ habenda. Quæ ergò heic fanciuntur, nullius sunt roboris & valoris, quod per præcipuorum Principum Absentiam irrita fuerint Comitia.

Recess. An. 1526.

Spiræ jam convenerunt Status Imperii, condideruntque cum Commissariis Imp. de quibus ad *Rec. anno 1525.* mentio, hunc Recess. qui continet sex partes.

I. Agit de *Concilio in Germania habendo* §. und erstlich nach dem. 8. & ex mente & voluntate Imp. injungitur Statibus, ut interim à mutatione Religionis abstineant.

II. De *Seditione Rusticorum compescenda* §. darauff so haben wir uns. 9. Cujus Originem & exitum Sleid. & alii describunt.

III. Prohibetur *Turbatio Clericorum* §. und nachdem auff diesem gegenwärtigen Reichstag. II. Cum enim inciperent Evangelici suam Religionem profiteri, salaria erant necessaria; quæ dum

constituerentur, Catholicis à suis redditibus tantum decedebat.

IV. Agit de *Suppetiis Hungariae Regi ferendis contra impressionem Turcæ*. S. weiter als S. ö. nigl. würde. 12.

V. Consultatur de *Regimenti & Camere Continuatione & sustentatione*. S. nachdem der Abschied des jüngst gehaltenen. 16. & seq.

VI. *Cumulantur multe & varia constitutiones*. S. Item nachdem die Monopoliën. 16. seqq.

Recess. An. 1527.

Idem de hisce comitiis dicendum, quod dixi ad *Rec. anno 1525*. omniaque igitur in hisce Comitiis decisa nullius sunt valoris aut roboris.

Recess. An. 1529.

Adhuc in Hispania Cæsar erat, qui missis inde literis Status Spiram evocat & suo nomine Comitiis fratrem Ferdinandum præficit. Sunt hujus Recess. duæ partes principales.

I. Agit de *Religione*. S. und anfänglich

lich

lich belangend den Aeticol. I. & de ea non mutanda Decretum fit acerbum nimis: Quod cum durius videretur Statibus, contra illud fuere protestati, unde *Protestantes* dicti.

II. *De Auxilio Turcico*, quod præstare noluerunt Status Evangelici. zum andern/so viel den Puncten 16. Duæ huic Recessui Novæ Leges subnectuntur.

1. *Fratrum & Sororum Liberi soli relictæ non in stirpes, sed in Capita succedunt*, Tit. Kâyserliche Constitution, wie Bruder und Schwester Kinder/ ad fin. Recess vid. Forster. 8. d. Succ. 3.

2. *Anabaptista capite puniuntur*. Tit. Constitution oder Mandat wieder die Wiedertâuffer. ad fin. Recess.

Recess. An. 1530.

Notissima Orbi hæc Comitia Augustana; quid in iis decisum, docebit nos Recessus hic in illis factus, qui continet quinque partes.

I. Agit de Religione, à S. demnach haben wir/ sambt denselbē .i. ad S. und da

mit an dem allen. 66. quæ seq. habet Membra.

(1.) Enarrat Imp. *Oblationem Augustane Confessionis d. s. 1.*

(2.) Proponit *Confessionem nonnullarum Civitatum. s.* folgendes haben uns die Gesandten. 8.

(3) Conglomerantur *Præcipua Evangelicæ doctrine capita. s. 12.*

(4) Decernit Imp. *quid in posterum in Articulis fidei docendum. s.* demnach gebieten und wollen wir / daß. 38. & seq.

(5) Prohibet *licentiam solitam omnia typis excudendi. s.* und nachdem durch die unordentliche Druckerrey. 58.

(6) Jubet Protestantes, *ut omnia bona Ecclesiastica restituant. s.* nachdem seit her unsers Käyserl. 59.

(7) Agit de *Jure Emigrationis. s.* und nachdem wir in unserm Käyserl. 60.

(8) Promittit se omnibus viribus anniti velle, *ut generale Concilium habeatur. s.* und diemell in vielen Jahren. 61.

(9) San-

(9) Sancit ut *Census tam Ecclesiasticorum quam Laicorum absq^{ue} ulla contradictione & inhibitione persolvatur.* S. Item wie wir hiebevör an vielen aufgerichten. 62.

(10) Cæsar & Catholici Status sibi invicem promittunt *Auxilia contra omnes invasores.* S. und damit an dem allen. 66.

II. Agit de *Camera Sustentatione; emendatione vitiorum & abusuum, quæ injuriâ temporis irrepsérant.* à S. weiter und nach dem. 73.

III. à S. wiewol der Hals. 97. seq. Conglomerat Imp. plura, quæ heic non decidit, sed ad futura Comitia & commodius tempus rejicit.

IV. Agit de *Turcæ violentis Invasionibus* à S. und nachdem 100. ad dieweil sich auch. 131.

V. Agit de *Politici status aliquali reformatione.* à S. als auch Teutscher. 132. ad finem.

B S

Re-

Recess. An. 1531. An. 1533. &
An. 1538.

In his Recessibus nil continetur, nisi
Emendatio Camerae Spirensis; quae re-
petere planè supervacui operis, cum
An. 1555. absolutissima facta fuerit Or-
dinatio.

Recess. An. 1532.

Præcipuum hujus Recessus Thema
est de *Religionis Negotio & Concilio ha-
bendo*. Quæ cum magis ad historię Co-
gnitionem, quam decisionem rerum Im-
perii pertineant, legendus magis, quam
explicandus,

Recess. An. 1541.

Hujus Recess itidem præcipuum
Thema est Tractatio de *Religione &*
quidem de ejus veritate inquirere vult
Imp. per Colloquium aliquod de ea in-
stituendum; Cujus Colloqvii denomi-
nantur personæ. Locus & modus col-
loqvendi; sed effectum non est sortitum
hoc Colloquium; Præter hæc Obs

(1.) Quod

(1.) Quod Imp. in §. und damit. 31. consolidet Camerae Constitutionem; & in §. und nach dem . 33. agit de ejus sustentatione & tandem in §. es soll auch. 34. Adfessores ad servanda hæc decreta juramento adstringit.

(2.) Prohibet in §. ferner. 40. Famosos libellos hinc inde per Imperium dispersos; ut & picturas in odium Catholicorum effictas.

(3.) Agit in §. und als wir zu. 41. de Auxilio contra Turcam ferendo, admonetque Status, ut suas portiones ad expeditionem Turcicam conferant.

Recess. An. 1542.

Duo præcipuè tractantur in hoc Re-
cess. Primum est sollicitatio Auxilii contra violentas Turcarum impresiones; Alterum est modus collectandi singulos Imperii subditos, ut erigatur fortis exercitus, qui Turcis opponi possit.

Recess. An. 1544.

Ut Gallia Rex Franciscus Hispania Re-
gi & Imp. Carolo V. agrè faceret, cum
Tur-

Turca foedus facit; ideoque Imp. Galliae Regem & Turcam pro communibus hostibus Christiani orbis habet & agnoscit, & contra hos duos bellum gerere decernit; Ideoque Status Imperii rogat, ut fortia suppeditent pecuniae & militis auxilia.

Recess. An. 1548.

Victor Caesar post debellatum Saxoniae Electorem Comitia indixit, Satusque Augustam convocavit; in illis hic Recessus fuit conditus, qui agit.

(1.) de *Religione* §. und nach dem. 3. & seqv. & heic Imp. obtrudit Statibus illud *Interim*.

(2.) de *Pace profana* §. und damit. r7. & seq. & modus procedendi in causa Banni traditur.

(3.) *Quaedam de Justitia exercenda* subiungit. §. folgendes aber. 24. & putat ad hunc finem consequendum necessarium esse, ut Camerae sua constet Auctoritas.

(4.) de

(4.) de Moderatione Collectarum. §. und nach dem sich etliche. 44. & seq.

(5.) de Exemtione Statuum Imperii §. etliche andere aber. 53.

Recess. An. 1551.

Res maximopere turbidæ erant in Romano Imperio, per durum Imperium Imp. animos Statuum plane à se alienaverat, nec cum Cæsare faciebat Mauritius Elector Saxon. qui pervidebat clandestina Imp. Consilia, quibus Imperium & inprimis Germaniam subjungere cogitabat: Gallus etiam occasionem hanc videns bellum in Cæsarem parat, quod occultò foverunt Status nonnulli; ut autem se hisce Imp. expediret, comitia Augustæ indicit, factoque in iis Recessu, quæ publica negotia attinent, tractantur in eo

(1.) de *Negotio Religionis*. §. und als wir unter andern. 3. putat Imp. rem feliciter componi non posse, quam si Generali conciliores ea decidatur.

(2.) Confirmatur Declaratio religionis

nis *Interim*, dum Concilium illud habetur. §. nach dem auch wir/auf. 9.

(3.) Narrat Imp. civitatem Magdeburgum Pacem publicam fregisse, rebellem esse factam & Beneficiis Cæsareis indignam se reddidisse. §. Diemeil aber alle Mühe und Arbeit. 16. seq.

(4.) Agitur de *Camera Imperiali*. §. neben diesem habē wir auch. 27. & putat Imp. consultum, ut Assessoribus Camerae decem alii Extraordinarii adjungantur; qui per biennium Ordinarios adjuvent, ut causæ eò citius decendantur.

(5.) Promittit Imp. se pro viribus annisurum, ut bona Ecclesiastica restituantur. §. nach dem wir auch in jüngsten. 33. & 34.

(6.) Instituuntur *Moderationes Collectarum*. §. Diemeil wir aber auf gegenwertigen. 54. & §. 55. confirmatur decretum antea hac de re factum.

Recess. An. 1555.

Absente Cæsare Carolo V. Rex Rom.
Fer-

Ferdinandus Comitibus Augustæ indicit; In hisce Comitibus variis de rebus tractatur arduis & Causam religionis & pacis publicæ spectantibus; Hic Recess. dividitur in tres partes.

I. Agit de *Religione* & huic Recessui Pax Religionis inseritur. §. in solcher fürgezogner. 13. seq. ut Lex æternum mansura & inprimis. §. setzen demnach / ordnen. 14. rogatur Lex, *Ut nemo cujuscunque status, dignitatis aut gradus ille sit, alterum sub quoecunque pretextu diffidare, invadere, ledere aut damna injuriasve inferre, bona violenter auferre presumat.*

II. De *Pace profana*. §. und damit ist gesetzet. 33. & mandat (1) ut ab omnibus Imperii Statibus pax profana à Maximiliano promulgata, à se verò repetita & confirmata sanctè & inviolabiliter observetur. (2.) Prohibet in Imperio Romano omnes clancularias lustrationes, militum coactiones, per quas non solum pax patriæ turbetur, sed

sed subditi insignibus damnis afficiantur.

III. de Legitima defensione; Quia arma infesta in Germania eo tempore circumvolabant, concedebat Imp. ut Circulus quisque arma & vires conjungeret ad ingruendam vim propellendam; ut autem eo certius hoc Auxilium sibi Circulus præstaret, & rector esset beligerandi ratio, constituit Imp. cujusque circuli *Præfectum*, qui heic vocatur *Kreiß-Obrister* & disting. von den *Kreiß-ausschreibenden Fürsten*; Nam hæc duo non esse confundenda sed distingvenda, alibi latius disputabo. De hoc *Præfecto* Imp. in §. neben dem soll es auch. 74. ulterius disponit, quod concessum sit unicuique Circulo eum ob certas causas ab officio removere; Ipsi autem dat facultatem officio, quandoque libuerit, renunciare; & subjungit, ut si contingat hoc munus quavis alia ratione vacare, sit potestas Circulo alium in ejus locum surrogandi.

Ordi.

 Ordinatio Cameralis Lib. I.

Tit. I.

Liber primus totus occupatur in describendis personis, quæ ad iudicium Camerale requiruntur, illæ personæ sunt vel Principales, vel minus Principales. Inter Principales personas numeratur

I. *Judex*; ejus consideratur

(1.) *Constitutio*, Judicem hunc Cameræ solus constituit Imperator.

(2.) *Qualitas* in persona Judicis attend. 1. *Status* ut scil. sit Princeps, Comes aut Baro. *Tit. 1. §. Erstlich soll das Kaysersl. 1.* (2.) *Patria*, ut sit Germanus *§. d. 1. & Tit. 3.* (3) *Idoneitas*, *Tit. 3.* sicut enim splendidissimum hoc Judicis munus est, ita iis qualitatibus ornatus esse debet, quas in alio iudice requirunt Leges & prudentum admonitiones; præter hæc communia specialiter callere debet omnes Germaniæ consuetudines notitiamque processus camerales ordinandi dirigendique.

II. *Adfessor*, hujus consideratur

(1) *Præ-*

(1.) *Præsentatio Tit. 1. §.* nemlich wollen die Röm. Kays. 3. definit tam Imp. quam Status & juxta *Tit. 2.* expressos Circulos hos Adfessores præsentare Camere debere, quæ ex præsentatis magis idoneum eligit.

(2.) *Numerus, d. §. 3.* non fuit semper uniformis hic Numerus, sed in eo sæpè fuit variatum.

(3.) *Genus, Tit. 3. §.* Desgleichen sollen die Beysitzer. 2. *expresse requirit, legitimo thoro esse oriundos debere.*

(4.) *Status,* exactè verba Imp. observ. & dividit Imp. hos Adfessores in tres Classes: *Prima* continet duos Comites vel Barones, horum Electio & Institutio tantum spectat ad Imp. *Tit. 1. §.* nemlich wollen die Röm. Kays. 3. *Secunda* continet Jctos; qui describuntur specialiter, eos esse debere honoris titulo graduque illustres; *Tertia* comprehendit Nobiles, qui admittuntur, nullo Titulo licet præditi sint, *Tit. 3. §.* und dieweil auch das Kays. 1.

(5) *Erh.*

(5) *Eruditio*: hæc insignis & magna requiritur in Adfessore, tam Nobili, quam Ignobili; cum eruditione debeant esse æquales.

(6.) *Patria*, hæc designatur Germania.

(7) *Religio*, de hac tractat in *Tit. 3. §.* und insonderheit ordnen. 3. & definit Imp. Adfessores esse debere vel *Evangelicos* vel *Catholicos*.

(8) *Surrogatio*, de hac tractat in *Tit. 4.* Si scil. Adfessores munere suo amplius fungi vel non velint vel non possint, in eorum locum alii surrogantur. Vacat autem Adfessoratus (1) *Morte*; si fato suo decedit Assess. tenetur iudex illud intimare illi Principi, qui eum præsentavit, eumque admonere, ut ocyus alios præsentet. (2) *Voluntaria resignatione*, de hac §. wo aber der gemeldten Beysißer einer. 2. decedit Imp. Adfessorem teneri sex Menses ante hanc resignationem Camerae Judici mentem suam aperire. (3) *Alia ex causa*, quæ esse

C

po

potest Revocatio, morbus diuturnus &c. ob quam idem, qui jam præscriptus ordo est, observatur.

(9) *Remotio*, de hac tractatur in *Tit. 5.* hæc fit (1) *ob imperitiam* rerum agenda- rum. (2) *ob pravitatem morum.* (3) *ob bæresin.*

(10) *Expeditio negotiorum Camera- lium*, *Tit. 6.* jubet severè Imp. ut Assesso- res tantùm expediant causas negotiaque Cameralia, neque curas suas extendant vel ad (1) Mercaturam, (2) Advocatu- ram, (3) Consiliariatum. (4) Commis- siones.

(11) *Absentia* *Tit. 7.* longa nimis ab- sentia statu suo privat Assessores.

(12) *Habitus* *Tit. 8.* jubet Imp. ut As- sessoris vestitus sit nitidus & comtus. Hactenus egit Imp. de Judice & As- sessoribus ratione *personæ*; Jam *Tit. 9. 10. 11. & 12.* diffusè explicat eorum offi- cia, quæ durante hoc suo munere obire & præstare debent; qui textus cum dif- fusior sit, quàm ut commodè contrahi possit.

possit, B. L. amandare ad ipsum Com-
mentarium volo, propediem qui visurus,
DEO benevolente, lucem.

Minus Principales Personæ enume-
rantur à *Tit. 15.* usque ad *Tit. 38.* quas
enumerare sigillatim supervacui est o-
peris.

Tit. 38. Egregio ordine recensentur
modus & ratio insinuandorum Manda-
torum & Processuum Cameralium; in-
cipit autem Imp. à superioribus Statibus
& gressum facit per sex Classes ad priva-
tos usque; & quidem (1) continet *Ele-
ctores & Principes*, (2) *Prelatos, Abba-
tes &c.* (3) *Barones.* (4) *Civitates.* (5)
Universitates, (6) *Privatos.*

Tit. 39. In Camera usu receptum est,
ut non tantum jurati nuntii, sed & No-
tarii Processus possint insinuare; post-
quam igitur Imp. egit de insinuatione
mandatorum faciendâ à Nuntiis; in *b.*
Tit. agit de insinuatione faciendâ per No-
tarios, quam insinuationem certis etiam
circumscribit cancellis.

C 3

Tit.

Tit. 42. In *b. Tit. & seq.* tractatur de Salariis Cameralium. Res est, quæ quovis tempore mirè variavit, donec Recess. 1654. certi aliquid fuerit statutum, & salarium insigniter auctum.

Tit. 49. In *hoc Tit.* continetur Palladium Camere; Tractatur enim de Cameralium Privilegiis, securitate &c. & quidem comprehenditur. *b. Tit.*

I. Privilegium *Immunitatis* plenariæ & absolutæ ab omnibus oneribus, tam realibus quàm personalibus. §. Item, Das Kammergericht soll. i.

II. Privilegium *Fori*, quod procedit tam in causis civilibus, quàm criminalibus. *Tit. 25. §. 6.*

III. Privilegium *Salvi Conductus & Securitatis*. §. Item, Das Kammergericht. i.

Tit. 50. In *b. Tit.* agitur de *visitatione Camera*, & determinantur Visitatores, tempus & locus Visitationis, & reliqua ad eum necessaria.

Tit. 51. Hic *Tit.* agit de *Pœnis Adfessorum*, & se refert ad *Ord. b. §. & §. 53.*

Tit.

Tit. 52. In b. Tit. agitur de Pœnis Advocatorum & Procuratorum, quas etiam hodie satis accuratè in Camera observari ipse audivi.

Tit. 54. & 55. tractatur heic de Pœnis personarum Camerae minus principali-um, & *Tit. 56.* de pœna pauperum litigantium.

Tit. 57. seq. proponuntur Juramenti formulæ omnium Cameralium.

Lib. 2. Tit. 1. Camerae ordinationis.

In hoc libro seu in h. parte secunda agit Imp. de *Jurisdictione Camerae*, seu quæ *Personæ* coram Camera conveniri; & quæ causæ coram illa deduci & ventilari debeant, tam in prima, quàm in secunda instantia. In *b. Tit.* præmittitur generalis Regula, *Subditos coram suis ordinariis Magistratibus sortiri forum competens.* Ideo in

§. *Erstlich ordnen.* 1. Jubet omnes omninò imperii cives, Status mediatos, & immediatos, ut unumquemque coram legitimo & competenti foro con-

C. 3.

veni-

veniant & sic tacitè prohibet *Advocationem & Evocationem*, subnectit tamen, (1) ut intra menstruum spacium petenti parti Processus decernantur, ibi: doch daß. (2) ut legaliter & ordine in judiciis procedatur, ibi: an denselbigen.

§ Es soll auch demnach 2. Jam particulariter prohibet Camera, ne ea contra mediatos Processus aut citationes decernat; & si decreverit, ea omnia Imp. vi hujus Constitutionis tollit & annullat.

Tit. 2. Postquam dictum est *pr. Tit.* ratione *Personarum* fundari & non fundari Jurisdictionem Camerae; Ideoque Imp. statim in *h. Tit.* subnectit & subjungit Insigne privilegium primæ instantiæ, quod Status Imperii principales jam ab antiquo obtinuerunt, & vulgato nomine dicitur *Judicium Austregarum*, de quo vid. dict. ad Rec. An. 1495. ubi in ejus naturam accurratius inquisivi, quæ huc transferenda. Paucis tamen hoc judicium ex hoc textu deline-

nea-

neabo ; & quidem ante omnia faciendum est Statuum Imperii discrimen, qui disting. in duos ordines. *Primus* comprehendit Electores, Principes, Principares. *Secundus* Comites, Prælatos, Barones, Nobiles immediatos, civitates Imperii: de horum Statuum foro competenti agitur in *seq. Tit.* & quidem

I. Si primus Ordo inter se litis controversias fovet ; Ita proc.

(1) *Princeps actor causam scripto comprehensam Principi Reo transmittit, & petit ab eo sibi administrari Justitiam, ibi soll der Klagende. s. Item, mit Diechtfertigung. Tit. 2. Part. 2.*

(2) Facta hac admonitione *Princeps reus intra quatuor hebdomadas quatuor Principes denominabit s. Darauf soll der beschriebenen. 2. Hi Principes describuntur, ut sint 1. Regentes i. e. Primogeniti. 2. Ut sint Principes ejusdem primi Ordinis. 3. Ut duo Ecclesiastici & duo seculares denominentur. 4. Ut non ex eadem familia vel domo orti sint.*

(3) Ex his quatuor *Princeps actor u-*

num seligit, quem vult esse in sua lite
iudicem.

(4) Hunc electum iudicem intra qua-
tuor hebdomadas à die facta denomina-
tionis Princeps actor Principi reo publicè
scripto denunciabit.

(5) Postquam jam constat reo Princi-
pi, quis electus sit iudex, debent tam
Princeps actor, quam reus factam hanc
electionem intra quatuordecim dies inti-
mare Electo iudici.

(6) Electus hoc modo iudex cogitur
delatum munus vi hujus Constitutionis
Cæsareæ in se suscipere. Habemus ergò
iudicem hunc Austregarum.

(7) Si Princeps reus quatuor tales aut
planè non, aut non juxta tenorem hu-
jus legis elegerit, conceditur Principi
actori in §. 3. facultas, ut eum in Camera
conveniat.

*Tit. 3. Si primus Ordo secundum or-
dinem in Jus vocare velit, quâ ratione
procedendum sit, disponitur in b. Tit.
& proponuntur duo modi procedendi.*

I. Ut

I. Ut primus Ordo *denominet Principem unum sui ordinis, coram quo reus secundum ordinis comparera tenetur.*

II. Ut secundus Ordo *tres pares primo dignitate & statu denominet; ex his Princeps actor unum seligere debet & potest.*

Tit. 4. Porro disponitur in *h. Tit. modo* procedendi, *si secundus Ordo velit primum convenire*: hoc quia aliquid habet difficultatis, *Octo modi* proponuntur ab Imp. quâ ratione proced.

Primus modus absolvitur sequentibus:

(1) *Secundus Ordo scribere debet ad primum petereque sibi administrari iustitiam.*

(2) *Primus Ordo conventus actorem ad residentiam suam evocabit; & novem ex suis Consiliariis denominabit; ex quibus actor unum seliget iudicis munere fungentem, qui reliquos octo Consiliarios ut Assessores secum*

ha-

habebit; qui soluti juramento justè & rectè judicabunt.

Secundus modus traditur in §. zum ander/ ob einiger. 6. ut si secundus ordo non velit novem Consiliarios, ipsi concessum sit ex numero illo septem aut quinque seligere, ut coram iis procedatur. Rat. ut si forte secundus Ordo quosdam habebat suspectos, eos removeere possit, ne scil. ipsi imponatur necessitas præcisè novem illos retinendi.

Tertius Modus extat in §. zum Dritten/ daß der Churfürst 8. ut primus ordo denominet tres sui ordinis Principes, ex quibus unum seligere valeat secundus ordo; qui modo in *Tit. 2.* præscripto procedere debet.

Quartus modus consistit in eo, ut secundus Ordo ab Imp. petat Commissarium, ut ille in lite contra primum Ordinem mota partes judicis in se suscipiat.

Quintus Modus extat in §. zum Fünften. 10. & talis est, ut (1) secundus Ordo
pri.

primo Ordini denominet decem personas vitæ integræ, famæ illibatæ, experientia & eruditionis præclaræ, ex his duo^s seliget primus Ordo. (2) Primus Ordo secundo denominet novem personas ex suis Consiliariis; ex his secundus ordo tres eligere tenetur; hi quinque litem hanc dirimere debent.

Sextus Modus constituitur in §. zum *Sechsten. II.* & absolvitur hisce. (1) Secundus Ordo denominabit duos viros inculpata vitæ & famæ, ut & præclaræ eruditionis; (2) Primus Ordo duos Consiliarios ex suorum numero deponet. (3) Hi si poterunt, litem dirimant, si non poterunt, cum præscitu Principalium arbitrum eligere tenentur. (4) Si in eligendo arbitro convenire non poterunt, instantia partis alterutrius aut ambarum partium Imperator arbitrum denominabit; qui aut Sententiam illorum arbitrorum roboret, aut si ei ita visum fuerit, novam pronunciet.

Septimus modus proponitur in §. zum *Sies*

Siebenden. 12. & quidem hac specie, ut secundo Ordini licitum sit & permissum ex primi Ordinis Consiliariis omnibus quinque seligere (ita tamen, ut præli- gat primus Ordo duos vel tres, quorum opera in ea causa uti velit) ut illi vice no- vem Consiliariorum, de quibus in §. Erst- lich so Prälaten. 1. Tit. 4. p. 2. mentio, & ea ratione modoque in causa procedant & eam decidant.

Octavus Modus, præscribitur in §. zum Achten so soll oder mag. 14. seq. & quidem quod Judices attinet, planè coin- cidit cum *Modo primo*, sed ab eo diver- sus est in modo procedendi: Ordo autem procedendi est talis, ut quatuor scriptis (salvis tamen dilationibus, si quæ neces- sariæ, & probationibus omnis generis,) causa tota absolvatur & concludatur; nisi in ultimo scripto aliquid novi continea- tur, ad quod alteram partem necessario respondere oporteat.

Ex hisce modis liberrima sua volun-
tate

tate unum seligendi datur in §. Item, es soll zu der Klagenden. 17. liberrimum secundo Ordini arbitrium; & illi modi non solum juxta §. und sollen solche Aussträg. 18. locum obtinebunt, quando secundus Ordo convenit primum; verum etiam quando privati cujuscunque ordinis & dignitatis cum primo Ordine litigare velint.

Tit. 5. partis 2. C. O. In *h. Tit.* tractatur modus procedendi, si sec. Ordin. inter se convenire velit; ad hunc Proc. requiruntur (1) Ut reus ex primo Ordine tres denominet. (2) Ut actor ex his tribus unum eligat. (3) Ut electus juxta modum *Tit. 4. partis 2. C. O. §. zum Dritten. 8.* procedat. (4) Si hoc non placeat, Commissarius modo in *Tit. 4. §. zum Vierten. 9.* prescripto ab Imper. impetretur.

Tit. 6. In *h. Tit.* generalia quaedam adnectuntur ad universam materiam Austregarum pertinentia. (1) Ut à sententiis Austregalibus appellari possit ad Cameram. (2) Ut causâ devolutâ ad
Ca-

Cameram nihil novi adferatur, nisi præ-
 stito prius Juramento, se de novo hoc
 emergenti in prima Austregarum in-
 stantia nihil scivisse. (3) Jubet Imp. ut
 Actores tam primi quam secundi Ordi-
 nis securitate plenaria gaudeant. (4)
 Denique non obstante hoc Austrega-
 rum iudicio, omnibus Statibus jura sua
 privilegiaque forisarta tecta conservan-
 tur.

Tit. 7. Succedit de famigerata illa con-
troverſia tractatio; An nempe in contro-
verſis Feudorum Titulorum ſolus Im-
perator abſque Paribus Curie ſit Judex?
 Hæc controverſia hoc noſtro ſeculo ma-
 gna contentione & votorum diverſitate
 fuit diſcuſſa, & in utramq; partem adſtant
 rationes momentoſæ & viri eruditi. Sed
 ne nos extra methodum vagemur, præ-
 monemus, agi in *h. Tit. de bonis Feudali-*
bus, non Allodialibus: eorum enim co-
 gnitio non ad Cæſarem, nec ad Cameram,
 ſed ad Auſtregale ſpectat iudicium: Hæc
 au.

autem quæstio consistit præcipuè in seq. quatuor membris.

I. An de toto vel parte tantùm Feudi agat hic Tit.? Resp. agi heic de adjudicatione integri alicujus feudi, non autem partis alicujus.

II. An de tali adjudicatione sit intell. b. Tit. ut nunquam ulla spes restitutionis supersit? Resp. Affirm. per text. *ex pr. b.* qui mentionem facit sententiæ definitivæ.

III. An etiam cognitio extendatur ad Baronias, Dynastias &c.? Resp. id affirmare Schrader, Rumeinum & alios egregiæ famæ Viros & JCtos.

IV. An de tali adjudicatione solus Imp. cognoscat & judicet, an verò cum eo pares Curia, ad minimum Electores? Non vacat, nec id vult methodi ratio hæc de re differere; quod paucis hæc absolvi & tractari non possint; fusissimè ea à me, DEO benevolo, tractabuntur & discutientur in Volumine quarto Jurisprud. publicæ,

Tit.

Tit. 8. partis 2. Ord. Cam. In h. Tit. agitur de Foro competenti, si de Spoliis agatur. Spolia iniquitate & violentia ut plurimum sunt conjuncta, atque eorum tantum est odium, ut ante omnia spoliatus sit restituendus; Alia autem sunt spolia, quæ fiunt absque violentia, quæ vocant Interpp. simplicia; alia sunt, que fiunt cum magno apparatu, de quibus in seq. Tit. 9. Vult itaque Imp. in h. Tit. saltem agere de Spoliis simplicibus; & amplius memorat Imp. in hisce Spoliorum causis Status Imperii quoad Austregas juri suo aliquantum renuntiasse, & modos terminosque Austregarum coarctasse; Interim tamen nisi metus fuisset majoris tumultus, suo in vigore manere debere Austregale judicium, tradit Imp.

Tit. 9. partis 2. Ord. C. Refert se h. Tit. ad Recess. Anno 1500. & An. 1548. & confirmat Imp. in h. Tit. Pœnas Banni cum omnibus clausulis & indicit pœnam Banni iis, qui exercitu hostili alterum aut invadere vult, aut jam invadit; & Fiscalem juben

jubet ut ad Bannum contra contumacem Statum procedat; Singulare est, quod in S. und so also an dem Cammergericht. 6. h. Tit. deciditur de Morte accusati ob poenam fractæ pacis publicæ; ubi vult Imp. ut hæredes cogantur in se suscipere litem in eo statu, in quo fuit tempore mortis accusati, hoc tamen effectu, ut hæredes quidem non banniantur, sed ut poena Banni convertatur in pecuniariam.

Tit. 10. p. 2. C. O. Hic Tit. agit de modo Purgationis & Processu à suspitione fractæ pacis publicæ; adeo enim curæ fuit Impp. pacis in Imperio conservatio, ut etiam voluerint suspitionem fractæ pacis legitimè purgari. Modus purgandi se à suspitione fractæ pacis est *prestatio juramenti purgationis*. Ratio autem præstandi juramentum est talis (1) aut suspectus est *Electus* aut *Princeps*, hi non jurant in propria persona, sed per ablegatum, (2) aut est *privatus*, & jurat omninò in propria persona, (3) aut *Uni-*

D

ver-

versitas & media pars Senatus hoc juramentum præstat.

Tit. 11. Fractorum pacis publicæ bona publicari, jam est in confesso; huic publicationi ut obvient malitiosi quidam, in fraudem legis vendiderunt bona sua & statim pacem fregerunt, nihil curantes diritatem poenæ, si modo salva essent bona; ideoque sancit Imp. ut citetur (1.) *venditor*, qui se Juramento purgare debet, se ob talem fraudem dolumque seu ob conceptam intentionem frangendi pacem bona non vendidisse. (2.) *Emtor*, qui similiter citatus jurare debet, sibi nihil in termino emtionis de tali facinore constituisse; sibi non fuisse cognitam intentionem venditoris, multo minus de tali scelere quicquam participasse; Hujus purgationis is est effectus, ut bona confiscari non possint.

Tit. 12. p. 2. C. O. Inter hunc. & *pr. Tit. 11.* hæc est differentia; quod *hic Tit.* agat de fractæ Pacis delicto notorio & propter illud bannito; *præc.* autem *Tit.* agit de
cri

crimine dubio & suborta saltem ex actu illo venditionis suspicione; Ideoq; propriè *hic tit.* agit de *itis*, qui Bannitorum bonam clientelam & defensionem recipiunt: Contra hos agitur in Camera; & omnes illi, qui Bannitorum tali jam dicto bona modo in protectionem recipiunt, cujus etiam sunt status & dignitatis, *ipso facto* juxta *text. nost.* in Bannum inciderunt; Ideoque in *h. tit.* agi in Camera & *ipso facto* in Bannum incidisse, non pugnant; Agitur enim in Camera non ad Bannum infligendum, sed ut Bannum autoritate Camerae & debitis adhibitis solemnitatibus infligatur.

Tit. 13. p. 2. C. O. In *h. tit.* continuatur materia *præc. tit.* & ampliatur in Ganerbis, qui quales sint, jam omnes norunt; & decidit Imp. in *h. tit.* omnes Ganerbios in Bannum eo ipso facto incidisse, qui Bannitos Ganerbios receptant, & eorum suscipiunt defensionem. Rat. decis. pet. ex *pr. tit. 12. vid. Erklär. des Landf. Anno 1500. tit. Wider der Ganerben Schloß.*

Tit. 14. p. 2. C. O. Hic Tit. Banno ferit eos Status, qui alterius subditos ob facinora ab ordinario foro secedentes scienter & perverse recipiunt & tuentur, & quidem Imp. Bannum infligit tam delinquenti quam receptanti, ut ex eo zelus erga Justitiam & fervor ad punienda delicta patefcant plus satis.

Tit. 15. In b. Tit. tractatur de Militibus, qui absq; domino vel capite vagantur & per territoria Statuum hinc inde discurrunt, de hisce nihil fancit Imp. sed remittit se ad præcedentes Constitutiones ut Paci publ. An. 1495. Tit. Von der einspännigen Snecht. Rec. An. 1548. de pace publ. ex quo hic Tit. verbotenus est desumptus.

Tit. 16 p. 2. C. O. Notum est ex pacis profana Constitutione, quod Banni executiones injungantur certis Principibus; Sive igitur id fiat sponte, sive ex jussu Camere, Executores hujus sententiæ sæpè impendunt magnos sumtus; Hos refundere tenentur ex suis bonis fractores pacis

cis publicæ, ita tamen, ut moderatio Camera præcedat.

Tit. 17. Constat, Camera Executionem Banni mandare posse vi & autoritate, quam obtinet ab Imp. Si verò causa tam ardua & momentosa, Fractor Pacis tantæ potentia & autoritatis sit, ut non facile sententia Banni executioni mandari possit, decernitur in *h. Tit.* quid agendum: Et jubetur, ut Camera rem deferat ad Electorem Moguntinum, qui ob hanc causam Comitiam particularia celebrare tenetur; insimul ad ea vocat sex Principes, unum Prælatum, unum Comitem, & denique unam Civitatem; Hæc Comitiam Francofurti celebrantur, inque iis Consilia de facienda Executione inibunt prædicti Status.

Tit. 18. p. 2. C. O. In *h. tit.* agitur de Absolutione à Banno, & generaliter præmittitur, Absolutionem à Banno, nisi à Camera vel ab Imp. non impetrari; quæ regula est immotæ veritatis.

Tit. 19. Præm. duplex esse Bannum.

Imperii & Contumacie; In illo non est
 necesse, ut missio in bona Banniti in Ca-
 mera petatur & decernatur, sed Execu-
 tores mittunt læsum in bona banniti
Ord. Cam. lib. 3. tit. 49. Ast in *b. tit.*
quær. Quâ ratione facienda Executio in
Banno Contumacie? Resp. fieri debere
 autoritate & Decreto Camerae.

Tit. 20. p. 2. O. C. In b. tit. agitur de
 fundanda Jurisdictione Camerae quod
 primam instantiam ratione causarum
 Fiscalium; Ubi not. agi præcipuè de Causis
 Fiscalibus, quæ ad immediatum Imperii
 Fiscum pertinent, ad differentiam Fiscii
 Statuum Imperii. Quæ autem tales
 Cause Fiscales æstimandæ tractat Imp.
 in *b. tit.* & quidem in. §. als nemlich für
 das erste. 2. & §. und in der Gemein
 sollen. 9. constituit regulam generalem,
quod omnes cause Fiscales à iure Civili
enarrate etiam hodie pro talibus haberi
& estimari debeant. In specie autem
 Imp. in *b. tit.* quarundam specificam
 facit mentionem. (1.) Si quis Legum
 fun-

fundamentalium fulcra everterit aut violaverit. (2.) Si quis Turcis aliisque Imperii hostibus contra Rempubl. quocunque modo opem tulerit. (3.) Si quis subditos alienos à suis ordinariis Magistratibus ob Anabaptismum profugos receptaverit, eosque debitâ poena non affecerit. (4.) Si quis Status alteri Statui à vagis militibus oppresso non tulerit suppetias.

Tit. 21. p. 2. C. O. Agi in Jure Civili de Litigiosis constat; aliter de hisce agi in *h. tit.* docent Interpp. Hæc autem *h. tit.* Constitutio potissimum obtinet, quando propter jus aliquod rei connexum, ut puta Jurisdictionem, Servitutem, Venationem, Salvum Conductum &c. res fit litigiosa. Agi autem potest ex his constit. vel *Ordinarie*, servato Ordinario processu; vel *Summarie*; quando mature absque solemnitatibus proceditur. Ad obtinendos autem Processus requiritur, (1.) ut partes immediatè Imperio sint subjectæ. (2.) ut possessio sit litigiosa, hoc est, ut uterque vel plures rem

possidere constanter adfirmant & contentant. (3) Ut Justus subsit timor majoris tumultus. (4) Ut Judex de metu armorum & partium certior reddatur.

Tit. 22. p. 2. C. O. In h. tit. vasta illa & acuta Pignorationum materia tractatur; Illud in primis intendit Imper. quod in causis Pignorationum cesset Judicium Austregarum & partes forum coram Camera fortiantur; Requisita autem pignorationum consistunt. (1) Ut pignoratus & pignorans sint immediati Imperii Status. (2) Ut decernantur mandata sine clausula.

Tit. 23. p. 2. O. C. In princ. h. tit. proponuntur duæ generales Regulæ, I. quod Processus non debeant ab Executione & mandatis inchoari. II. Quod mandata decerni debeant cum Clausula Justificatoria. Proponuntur tamen in h. tit. quatuor Casus, vulgò vocantur die vier Fälle, in quibus ab Executione Processum inchoare licet. (1) Est casus, si quid ita jure & consuetudine sit prohibitum, ut citra
cause

causa cognitionem pœnam mereatur. (2) Si implorantiale damnum inferatur, quod perpetrato negotio reparari nequeat. (3) Si factum publicæ utilitati adversetur. (4) Si factum ferre moram nequeat, & sit in mora periculum.

Tit. 24. In h. tit. non quidem denegatur in totum relaxatio juramenti ad effectum agendi, sed certis cancellis includitur. (1) Ut ante impetrationem relaxationis Camera ad Magistratum juramento obstricti scribat, ab eo causas præstiti juramenti exploret, & jubeat, ut totam illam causam Camerae enarret. (2) Si causas capturæ satis prægnantes Camera deprehenderit, impetranthem à limine judicii removebit, si non, mandata decernet.

Tit. 25. p. 2. C. O. Succedit famigeratissima materia *L. Diffamari*. In hoc nihil vult Imp. aliud, quàm quatenus ex *L. Diffamari* in Camera agi & procedi possit; & quidem regulariter verum est, *Austregas non habere locum in causis L. Diffamari*, Quando

do

do autem ratione & vi hujus Tit. *L. Dif-*
famari in Camera locus fit, ex hac san-
 ctione cognoscimus (1.) quando con-
 cernit fractam pacem publicam inju-
 rias & similes causas, hoc est, quando
 diffamans diffamatione sua intendit a-
 liquem non tantum suspectum, sed &
 reum facere violatae pacis publicae, vel
 alius atrocis criminis commissi. (2.) Ut
 implorans Processus sit immediatus. Im-
 perii Status. (3.) Ut diffamatus sit imme-
 diate subjectus Imperio.

Tit. 16. Fundat Camerae Jurisdictionem
 quoad primam instantiam praeter o-
 mnibus principaliter *Justitia denegata*
 & *Justitia protracta*; Sancit autem Imp.
 in his casibus; (1.) Ut in casu protractae
 vel denegatae Justitiae proximè superior
 judex adeatur; si ab eo justitia denege-
 tur vel protrahatur, rectè adiri Camera
 potest. (2.) Ut post factam insinuatio-
 nem Promotorialium, si tempore in iis
 expresso justitia non administretur, Ca-
 mera causam advocet & in ea legaliter
 procedat.

Tit.

Tit. 27. Breviter conceptus est *hic tit.* & hoc vult omnes causas & personas immediatè Jurisdictioni Imperatoris subiectas, ideoque singulariter non exemptas in Camera proponi & conveniri posse: Unde patet non solum Imperatorem omnis Jurisdictionis esse fontem, sed quicquid sit potestatis & auctoritatis, in *δικαιοδοσία* transtulisse in Cameram.

Tit. 28. p. 2. C. O. Incipit Imp. agere in *b. tit.* de Jurisdictione Camerae quod secundum instantiam, & ferè quot sunt in hoc titulo §. tot sunt regulæ.

I. Ab omnibus Judiciis Imperii, quæ originem suæ Jurisdictionis ab Imperatore agnoscunt, quocumq; insigniantur nomine, ad Cameram ultimò provocatur. §. es soll nicht allein von den Urtheilen. i.

II. Nullus subditus Imperii vi metus adigi debet, ut appellationis beneficium intermittat, nec ad Cameram provocet. §. und dieweil bisshero. 2.

III. Temerè appellantes non solum in
expens-

expensas, sed etiam pœnas temerè litigantium à Camera condemnari debent.

§. Darzu Diemeil je zu zeiten. 3.

IV. Summa appellabilis debet esse quinquaginta aureorum. §. und sonderlich sehen/ ordnen. 4.

V. In Causis Criminalibus, quæ corporis important pœnam, in Camera nulla recipitur appellatio. §. Item Nachdem auch dem. 5.

VI. In simplicibus Interlocutoriis appellatio non est, in iis autem, quæ gravamen irreparabile continent, rectè est recipienda.

Tit. 29. p. 2. C. O. In h. tit. seq. sunt præcipuè notanda.

I. Appellationem debere fieri gradatim; Solent Status habere plures instantias; si igitur coram inferiori foro causa alicui abjudicatur, non statim condemnatus ad Cameram appellat, sed proximè superius Judicium in eadem provincia; si nullum in ea provincia superest Dicasterium, spes omnis in Camera residet.

II. Ap-

II. *Appellationes interponi debere intra dicendum à die lata sententiæ, Tollit etiam Imp. morem inferiorum Judiciorum longius tempus quàm decendum concedentium.*

III. *Appellationes fieri posse vel statim, vel ex intervallo (observato tamen præstituto decendio) vel vivâ voce, vel coram Notario.*

Tit. 30. In h. tit. agatur de Terminò introducenda appellationis, qui est spatium Sex Mensium; & occurrit Imp. magnæ altercationi de dierum in mensibus computatione; & quia hujus semestris spatii dies sunt continui, non utiles, & sic ferè à momento ad momentum currit, statuit Imp. ut pro quolibet Mense 30. dies computentur; ut ita pro introducenda appellatione concedendi sint 180. dies continui; si hi effluant absque introducta appellatione, ea habetur pro deserta. Hoc temporis spatium præcisè & accuratè observari vult. Imp. ideoque in h. tit. sancit ignorantiam ho-

horum terminorum neminem excusare debere de legis rigore ; & severè jubet Cameram (1.) Ut nullius hac in re præ-
tensam ignorantiam exaudiant, sed stri-
ctè, quod heic sancitum est, observent.
(2.) Ut contra heic sancita nulla infe-
riorum judiciorum statuta, consuetudi-
nes, fori observationes attendantur ; sed
his pariter rejectis præcisè Leges hujus
Ordinationis observentur.

Tit. 31. p. 2. O. C. Postquam appellatio
fuit legitimo tempore interposita, debet
appellans implorare officium Judicis à
quo, *ut acta describi & edi curet*, ut eò
promptius ea Camerae offerri & exhibe-
ri possint. De hac editione Actorum ex
textu not. (1.) Ut iutra triginta dies à
facta appellationis interpositione acto-
rum editio petatur. (2.) Ut acta petan-
tur ab eo Judicio, in quo ultima senten-
tia lata fuit, à qua ad Cameram appel-
latum. (3.) Ut petitor caveat de pretio
descriptionis actorum. (4.) Jubentur Ju-
dicia promptè obsequi petitioni appel-
lan-

lantis, nec causari moram Processus, nisi sibi ob denegatam vel frivole protelatam actorum editionem malum creare velint.

Tit. 32. p. 2. C. O. refert se hic tit. ad P. r. tit. 13. §. 10.

Tit. 33. De Feriis nihil addo; quod satis clarè heic omnia exprimantur.

Tit. 34. In b. tit. locus adsignatur huic Judicio certus & fixus nempe Spira.

Tit. 35. Hic tit. expressus etiam est in prima Ordin. Cam. Anno 1495. & sensus est, ut Judicium Camerae nulla in re impediatur, quò minus regia via Justitia ambulet; non deflectere debet neque ad dextram neque ad sinistram; insistere debet recto tramiti, nec intueri micantes mucrones; fulgentes auri massas; gratiarum montes, & quæ alia sunt, quæ Justitiæ directum hunc cursum impediunt.

Tit. 36. p. 2. O. C. In b. tit. tria præcipue tractantur. (1) Datur potestas Camerae hanc Ordinationem declarandi, reforman-

mandi, & novas ad Processum spectantes Leges condendi. (2) Datur Facultas vitia Camerae corrigendi. (3) Jubentur Camerales, ut novas suas decisiones Visitationibus Camerae offerant, ut ab illis approbentur aut mutantur, prout illis iustum æquumque visum fuerit.

Lib. 3. Tit. 1. Camerae Ordinationis.

Totius hujus partis duo principaliora sunt membra; Primum proponit *Modum & seriem Processus ordinandi in Camera*; Secundum dat remedia contra sententias in Camera latis: quod primum membrum attinet, satis dextrè & clarè singuli Processus termini proponuntur.

Tit. 1. Determinat dies habendarum audientiarum; qui constituuntur dies Lunæ, Mercurii, Veneris; in his diebus omnibus audientiis partes causas suas proponunt.

Tit. 2. & tit. 3. tractantur & distinguuntur Causæ *Ordinarie ab Extraordinariis*; Illæ dicuntur, quando institu-

to legali & ordinario Processu causæ ventilantur & deciduntur ; Hæ cum omisso solemnī Processu, levato velo & de plano causæ ventilantur & discutuntur ; Cum autem nemo distinctè scire potest, quæ causæ pro summaris habendæ, ideò Imp. earum aliquem heic texit Catalogum & triginta proponit causas, quibus summaris ventilationis concedit privilegium.

Tit. 34. p. 3. O. C. In h. tit. Imp. de Nullitate Processus tractat ; qualiter sc. in deductionibus Nullitatum procedi debeat ; In primis not. quod causa Nullitatis principaliter intentata totam causam & principale negotium ad Judicem Nullitatis devolvat ; ita ut super meritis cognoscere, & sententiam vel reformare, vel confirmare, etiam ex nova causa & novis probationibus possit.

Tit. 35. Idem traditur in prec. tit. 7. & explicatur in Rec. Ann. 1600. §. 89. & Dub. Cam. 65.

Tit. 41. In h. tit. agitur de Contuma-

E

618

cia, non quidem ratione personarum; sed de mora & cessatione in Productis suo ordine exhibendis, & tradit Imper. hac de re duas regulas 1. sancit, ut si oscitanter & negligenter Termini à partibus ipsis non sint servati, scilicet productis non exhibitis, eo casu imponatur poena juris communis, & præter hanc refusio expensarum parti adversæ; quibus depensis demum admittitur ad causam in eo statu, in quo est, resumendam. 2. Ut si producta dolo aut negligentia Procuratorum non exhibeantur, illi ea propter in expensas condemnentur, nec quod multo loco solverunt, à partibus repetere sit concessum.

Tit. 42.p.2. Q.C. In b.tit. & seq. tractatur de Contumacia eminentium partium Actoris, Rei & Appellati. Est rigorosum nimis, decernere poenam Banni in contumaces, ut heic facit Imper. sed cogitandum, in ordinem non aliter redigi subditos tantæ claritudinis & potestatis,

tis, qui coram hoc tribunali comparere coguntur.

Tit. 51. Ultima hæc est quæ sit ad Camera Provocatio; à sententiis in Camera latis ad nullum in hoc mundo Judicem appellatur; Heic sistitur cursus litium & unicuique id, quod ipsi debetur, tribuitur. Ne tamen ulla sit conquærendi ansa, & in hoc voluit Imper. providere, ut de sententiis Cameralibus ulterior instituatur ventilatio; de quibus remediis Imp. in *seq. tit.* tractat.

Tit. 52. p. 2. O. C. Ex hoc tit satis clarè patet restitutionem in integr. in Camera imperiali locum habere; Ita tamen, ut si Causæ justæ, novæ, & prægnantes articulatim adferantur, attendatur cum effectu restitutio; Sin verò iniquæ, invalidæ aut antea jam adductæ producantur, prorsus rejiciantur & debitæ executioni mandetur prius lata sententiâ.

Tit. 53. Celebre remedium contra sententias Camerales proponitur in *h. tit.* scil. *Revisio*, quæ de tot illustres ex-

tant Commentarii. Hujus Tit. aliqua facta est correctio & mutatio in Recess. An. 1654. quod attinet h. textum is quatuor principalia in se complectitur membra. 1. Proponit *Petitorem Revisionis*. 2. *Judices Revisionis*. 3. *Modum Revisionis*. 4. *Effectum Revisionis*. Not. In pr. Prorsus ultra Revisionem adimi omnes modos ulterius quid petendi.

Tit. 54. p. 2. C. O. In ult. h. tit. Imp. jubet, ut in omnibus illis causis & negotiis, de quibus expressè hic decisum & sancitum non est, observetur jus civile Romanum; ideoque hæc duæ Conclusiones eliciuntur ex Textu I. In h. Ordinatione expressè & verbotenus decisa vim Legis obtinebunt, & Juri civili derogabunt. II. In his, quæ decisa taliter non sunt, Jus civile Romanum Legis auctoritatem vim & robur obtinebit.

Recess. An. 1557.

Hic Recess continet *Quinque membra*.

I. Est Preparatio ad Colloquium Wor-

MA

matiense à §. 10. ad §. 41. Ast non est felicem exitum sortitum hoc colloquium, cum Pontificiis obveniret quædam occasio hoc Colloquium abrumpendi, ac id, quod aliàs nolebant, effugiendi.

II. Proponitur Periculum imminens à Turcâ; Quod commota mente Statibus ob oculos ponitur, & ab illis enixè auxilia petuntur, §. 42. Cui petito tandem detulerunt Status & subsidiariam Collectam octo mensium duplicatæ Romanæ expeditionis dare unanimiter consentiunt. §. 47.

III. Prohibentur omnes clanculariæ depraedationes, Assassinia, Latrocinia §. 72. ac jubet Imper. ut mandata ea de re facta sanctè observentur.

IV. Dicit Imp. tibi oblata esse quædam gravamina Camera Imperialis, sed ea in hisce Comitibus non ritè decidi posse tradit. §. 73. seq. eapropter & Visitatoribus commendat, quos ex omni Statuum numero. §. 76. eligit.

V. In hoc membro tractatur de mon-

netis §. 81. & refert se ad Edictum
Mon.

Recess. An. 1559.

Primus hæc Comitia Augustæ celebravit Imp. Ferdinandus I. & hujus facti Recessus sex membra sunt.

In *Primo* Membro tractatur de *Religione*. §. 3. & sperasse se dicit Imp. feliciores instituti Colloquii progressus.

In *Secundo* Membro agitur de *auxilio contra Turcas ferendo*, §. 7. ubi status hortatur, ut ocys ea, quæ de Collectis restant, conferant & persolvant. §. 11.

In *Tertio* Membro publica illa latrocinia & deprædationes severè vetat. §. 21. & *seq.* & confirmat hoc casu omnes factas Ordinationes & mandata.

In *Quarto* Membro. §. 52. decernitur *Visitatio*.

In *Quinto* agitur de *Monetis*. §. 73. & *seq.* & se refert Imp. ad Edict. Monetale.

In *Sexto*. §. 76. confirmatur Tit. reformationis Polit. de filiis opificum.

Recess. An. 1564.

In

In hoc Rec. præcipuè confirmatur.
Pax publica. S. nachdem dann. 15. Poenæ
 vibrantur in otiosos & vagabundos mi-
 lites. S. wiewohl. 23. Præparat se Imp. ad
 defensionem, si bello ab aliquo peti debeat.
 S. Dieweil aber. 36.

Recess. An. 1566.

Prima hæc sunt Comititia, quæ Augustæ
 celebravit Imp. Maximilianus II. & con-
 tinet hic Rec. Membra 6.

In *Primo* iterum agit de *Religione.* S.
 als wir nun. 2.

In *Secundo* confirmatur *Pax profana.*
 S. neben Erledigung. 7.

In *Tertio* agitur de auxilio Turcico. S.
 Nuffunser weiter. 34.

In *Quarto* tractatur de *Ordinatione*
Camerali, cujus nonnullos titulos Imp.
 heic extendit & ampliat. S. nachdem
 dann. 72.

In *Quinto* Membro tractatur de *Re-*
ductione partium per vim ab Imperio
 Romana avulsarum; hæc consultatio quo-
 dammodo videtur esse inutilis. S. nach
 obgesetzten. 127.

In *Sexto* Membro repetitur ante hac instituta moderationis tractatio. §. wie wohl dann. 128.

Recess. An. 1567.

Postquam longâ & magnificâ oratione Imper. per Commissarios suos Statibus de auxilio Turcico gratias egisset, ac eventum belli Turcici enarrasset, simulque imminens adhuc malum à Selimo filio defuncti in acie Solymani condignè enarrasset ad. §. Diweil aber. 15. pergit Status imperii de ulteriori auxilio sollicitare : repetendum autem ex superiori Recessu, Status consensisse auxilia Turcica per integrum continuare triennium, idque ad modum simplicis expeditionis Romanæ, quare Imp. § und demnach. 20. instantibus precibus tandem à Statibus extorsit, ut hæ Collectæ in Triennium destinatæ intra spatium biennii solverentur, ita ut summa Collectarum triennialium jam ad biennii spatium redacta fuerit ; In *altera parte* hujus Recess. agitur de Re-

ce-

ceptatore Johan. Friderico Saxonum
Duce & Rebellibus Imperii, qui Herbi-
poli tantam inflixerunt cladem. §. wie
auch darauff. 39. & seqq. ad finem.

Recess. An. 1570.

Pacem octennalem cum Turca fece-
rat Imper. quod uterque jam funesto
bello quassatus optaret requiem; men-
tem igitur animumque ad curas Imperii
reflectit. Conqueritur autem initio,
quod seria sua consilia de tranquillitate
Germaniæ totius agitata condignum
sortiri non potuerint effectum. Comple-
ctitur autem h. Rec. Octo. Membra.

In Primo Membro tractatur de *Modo*
autorationis militum. §. 5. seq. & concedit
Germanis, ut illis liceat, ubi velint, sti-
pendia mereri militaria.

In Secundo Membro agitur de sup-
peditanda pecunia ad ædificanda fortia-
litia adversus impresiones Turcarum. §.
nach erledigten. 24.

In Tertio Membro tractatur de Expe-
ditione Gothica & de impensis in illam
fa-

factis ad persequendos scil. Bannitos, qui multa ex tempore patrarunt flagitia. S. ferners. 35.

In Quarto disquisitio instituitur de Camera Spirensi. S. weiters. 42.

In Quinto consultatur de modo restitutionis partium ab Imp. avulsarum. S. wir haben auch. 105.

In Sexto tractatur de redintegratione Matriculæ Imperii. S. als wir dann. 108.

In Septimo confirmatur Edictum Monetale. S. dieweil dann. 121.

In Octavo agit Imp. de Typographia S. wiewohl auch. 154. eamque quodammodo prohibet.

Quæ de disciplina militari in hoc Receptantur, non indigent fusiori explicatione, quod sæpius hodie immutata sit unà cum modo & ratione gerendi belli.

Recess. Francof. An. 1571.

Convenerat in præcedentis anni Receptu. S. derohalben statuiren. 118. ut dies
de-

deputationis Francofurti indiceretur. Constituto igitur tempore conscripti Status adsunt, sed, quod observandum, plures quàm institutio huius conventus requirit, quod observat Bertram. *de Comit. concl. 14.* nempe ob causas, de quibus tum actum, peculiare. Agitur autem præcipuè de edicto Monetali & Imperii Matricula.

Recess. Ratispon. An. 1576.

Præmissâ excusatione quod non libenter Imp. Comitia non necessaria indicat, rerum tamen deliberandarum momentum tam esse ponderosum dicit, ut hunc conventum etiam ab invito se extorserit. Conqueritur autem ab initio de Turcarum foedifrago conatu, quod non attentis induciis octennalibus immani scelere terras Imp. depopulaverint, fortalitia quædam occuparint, ac permultos Christianos in miserissimam servitutem abegerint. Partes autem ex divisione Imp. ipsius in.

S sine

§. sintemahl. 3. hic Recessus quinque continet.

Prima Pars continet consultationem de reprimendis Turcarum violentis depredationibus & sufflamine ultioris irruptionis; & concluderunt Status se opitulaturos Imp. §. Dieweil aber 7. pecuniâ & milite.

Secunda prohibet ulterius lustrari milites in Rom. imperio pro extraneis Principibus. §. zum Hindern. 34. qva de ro etiam supra actum.

Tertia explicat quædam Ordinationis Cameralis dubia. §. als wie denn zum Dritten. 52.

Quarta continet confirmationem Edicti Monetælis. §. gemeinen abwesenden. 65.

Quinta explicat Modum Processus in causa Moderat. Collectarum. §. Demnach wir. 83.

Recess. An. 1582.

Prima hæc fuere Comitæ, quæ Augustu-

gustæ celebravit Imp. Rudolphus II. Hic Rec. septem partes continet.

Prima tractat de subsidio contra Turcam ferendo. §. Da nun solche. 5.

Secunda prohibet lustrationem & coactionem militum extra imperium deducendorum. §. wañ aber das. 29. ne sc. imperium denudetur viris.

Tertia curam gerit Circuli Westphalici ob motus Hollandicos. §. aber was insonderheit. 42.

Quarta parte consultatur, qua ratione Imperio per vim & fraudem subtracta membra possunt reoccupari. §. und als wir. 46.

Quinta agit de Justitia. §. wie wohl wir. 47. & indicit Conventum Deputationis Spiræ habendum anno sequenti, quod ob insignem dubiorum & gravaminum molem heic nihil tractari possit.

Sexta parte consultatur de integranda Matricula. §. weiters als wir. 50.

Se-

Septima parte confirmatur Edictum
Monetale. s. Demnach gemeinen. 66.

Præter hæc in his Comitibus Augusta-
nis actum fuit de duobus negotiis ma-
ximè ponderosis, Scil. 1. *de Calendario*
Gregoriano, quem obtrudere volebat
Germanis Papa Gregorius XIII. sed ni-
hil obtinuit ab Imp. 2. *De Matrimonio*
Electoris & Archi Episcopi Coloniensis
Gebhardi Truchsessii, quod Thuanus &
Osiander fusius enarrant.

Recess. An. 1594.

Præcipuum quod coactis hisce Co-
mitibus intendit Imper. fuit, ut impetraret
à Statibus auxilia contra Turcas Hunga-
riam eo tempore miserè vastantes. Obi-
ter confirmat Pacem profanam, & de-
cernitur Legatio in Belgium ad compo-
nendos motus, quæ tamen fuit absque
effectu.

Recess. An. 1598.

Nihil & hic ferè tractatur quàm de
auxilio contra Turcas ferendo; & ex-
ponit Imp. periculi magnitudinem, &
enixè

enixe sollicitat Status, ut concurrant ad amoliendas tam periculosas impressiones.

Recess. Deput. An. 1600.

Sicut in Constitutionum correctionibus non solet ordo observari, sed corrigendæ partes hinc inde desumi, ita, & huic Deputationis Recessui accidit; Variæ enim præcedentium & antè conditorum Recessuum partes hoc loco referuntur, explicantur, restringuntur, corriguntur, ita ut correctione præcedentium ferè totus consistat; Continet autem duas Sectiones principales; *prima* agit de modo exercendæ iustitiæ in Camera imperiali, & se extendit usque ad §. 140. Altera quædam alia tractat, quæ ad Statum Politicum formandum erant necessaria. In prima Sectione continentur 9. Membra.

I. Agit de numero copiarum, quod scilicet in Camera exhiberi debeant, & jubeat Imp. appellatum, ut acta prior. Instant. quinquies describi curet. §. Demnach 6.

II. Tra-

II. Tractat de Pauperibus litigantibus
 §. und nach dem. 9. de quib. Ord. Cam.
 1, 41.

III. Concernit Summam appellabilem,
 §. wie wohl nun. 14 qua de in Rec. An.
 1654. §. 112.

IV. Occupatur in describenda quali-
tate Assessorum. §. Demnach auch. 19.

V. Agit de Causa Continentia. §. bey
 unfern. 23.

VI. Tractat de effectu Promotoria-
lium. §. ob auch. 27.

VII. Enarrantur Causæ, in quibus lo-
cum habent Mandata sine Clausula. §.
 es wird nicht. 29.

VIII. Inhibentur Procuratorum fri-
vole absentia. §. Dem nach bey. 63.

IX. Continentur varia Ordinationis
Cameralis capitula, quæ Imp. in §. Die
weil aber. 67. seq. corrigir & quatenus
intelligi debeant, explicat.

In altera Sectione agit Imp. de Statu
 Politico informando; & quidem in §.
 so viel nun. 150. deciditur quæstio, qua-
 te-

tenus in Imperio Romano interesse Creditor à tempore moræ legitimè petere possit? Resp. Imp. ultra 5. pro 100. peti non debere.

In §. als auch Streit. 157. deciditur controversia, quod stante ac durante Revisione Executio debeat suspendi; qua de re novi quid decisum in Recess. An. 1654.

Recess. An. 1603.

Hic Recess. continet 6. Partes.

I. Tractat *implorationem auxilii Turcici*. §. nichts desto weniger. 7.

II. Agitur *de Tumulibus Belgicis*. §. als wir dann. 28.

III. Exponit Imp. *Rebellionem urbis Embde advers. Com. Enno*. §. und demnach wir. 39.

IV. Consultatur *de vero Justitie administranda modo*, §. wie hoch und viel dann. 45.

V. Agitur *de re Monetaria*. §. nachdem auch. 48.

VI. Proponit *Statibus necessitatem*.

complendæ & redintegrandæ Matriculæ Imperii. §. wir haben auch. 57. humaniterque petit, ut requisitis hac de re in Rec. An. 82. 94. 98. factis debite satisfiat, ut tandem certè subditi Imperii ab aliis dignosci possint.

Recess. An. 1613.

Dissensiones inter Status Imperii effecerunt, ut Comitia hæc indicere Cæsar, necesse habuerit, nihilque toto hoc tempore Ratisbonæ actum, quàm quod Status Imperii collectam contra Turcarum impetum seu collectam Turcicam concesserint; de hac colligenda, de modo colligendi hanc Collectam totus occupatur Recessus, nihilque præter hoc aliud, quod notatu aut observatu dignum, continet.

Recess. An. 1641.

Toti orbi notum cruentissimum Sveco-Germanicum bellum; hoc durante Imperio Ferdinandus III. mortuo Patre Ferdinando II. (qui toto Regiminis tempore nulla celebravit Comitia) Status
Ratis-

Ratisbonam evocat, ibidemque, ut testatur hic Rec. §. bekennen. 1. & 2. magnifico apparatu sortem Imperii & Germaniæ deplorat, & amplissimis verbis contestatur desiderium reducendæ pacis. Hujus autem Recessus sunt tres partes principales, ut ipse dividit in §. hierauf. 3.

Prima pars exponit Media, quæ ratione vulnere inflicto iterum medica adhiberi manus possit, & pax in Germaniam postliminio quasi reduci, à §. 3. ad §. 18. quia autem hæc omnia per Instrument. Pacis sunt sublata, minus erunt explicatu necessaria.

Secunda pars tractat de Mediis ad belli continuationem Necessariis, incipit à §. so viel nun. 18. & ratio contributionis fere eadem cum consuetis clausulis observatur, quæ fuit in præced. Recess. sopito autem hoc bello una hujus partis explicatio necessaria.

Tertia pars incipit in §. wiewohl. 90. & quidem Imp. dicit multa agi debere
de

de modo administrandæ Justitiæ, sed hæc omnia ad diem Deputationis proximum rejiciuntur.

Recess. An. 1654.

Cruentum illud & diuturnum bellum, quod inter Regem Sveciæ & Protestantes Imperii Principes & Roman. Impp. Ferdinandum II. & III. gestum est, pax tandem tot votis exoptata & desiderata excepit & vi promissionis suæ Imp. comitia celebravit; Recessus autem in iis facti quatuor Principales sunt partes.

Pars Prima complectitur *confirmationem & corroboracionem Instrumenti Pacis* jam omnium consensu Statuum facti; ita ut illud in posterum pro Lege Imperii, Pragmatica sanctione & immutabili æternumque valitura Imperiali constitutione reputetur & æstimetur.

Pars Secunda continet *Cameralis Judicii reformationem à S. als dem nechst 7. ad S. 170.* hujus partis præcipua sunt membra

(1) de

(1) de *Constitutione Salariorum Cameralium* s. diemeil auch. 11.

(2) de *Vocatione & Completione Numeri Assessorum* s. den numerum. 29.

(3) Continet *Modum abbreviandi Processus in Camera*. s. diesem nechst nun. 34.

Pars Tertia exhibet *Edictum de Solutione sortis & Usurarum*. s. nach deme auch. 170. quod aliqua indiget explicatione, quæ reservatur ad *Ordinarium Commentarium*, hujus partis sunt membra Tria.

(1) Continet *Personas* hujus Beneficii capaces. s. sehen demnach. 171.

(2) Complectitur *Capitalia* de quibus singularia disponuntur. s. so viel nun. 172.

(3) Præscripit *Modum Usurarum*. s. die verfloffene. 173.

Pars Quarta comprehendit varias Res &c

(1) *Desiderium El. Palet. de impossibi-*
bis

bili debitorum solutione. §. nachdem mahlen. 176.

(2) De Evacuatione Castri Vechtæ. §. Dennoch auch. 177.


(3) Exponitur Motus defensionis in Imperio. §. nachdem auch. 178.

(4) Coactio militum Germanorum prohibetur. §. nachdeme auch. 186.

(5) Confirmatur Transactio inter Elect. Palatinum & Princ. Ludovicum Philippum, ratione Ducatum Lautern & Simmern / quam Imp. heic confirmat §. über das. 187.

(6) Confirmatur Transactio inter Principes Hassiæ. §. demnach auch in dem. 188.

(7) Promittit Imp. cogere conventum Deputationis. §. Den zweyten Punkten. 191. seq.



*Gente, atq; mente
nobilissimos*

Juris patrii aestimatores,
cultoresqve
ad

P R A E L E C T I O N E S

publicas,

quanto potest studio, invitat

D. CASPAR HEINR.

HORN, PROF. PUBL.

in

Academia Wittebergensi.



Quod jam dudum meditatatus
sum, nec tamen per fata licuit,
aggredi institutum in praesens
mihi animus est, tum ut, qua
decer, atque fieri potest, ratione Spar-
tam ornem, quam nactus, tum ut com-
modis studeam vestris. Non vanæ pas-
sim habentur querimoniarum, in plerisque
Germaniarum Academiis cathedras ac
subsella Romanum quidem Jus sonare:
altum tamen de domestico, quod Im-
perii Constitutiones, Recessus vulgo
vocant, continent, esse silentium, ne-
gligi has fere, tantumque abesse, ut illi,
qui arti æque bonique dant operam, co-
gnoscant, quid in recessu habeant, ut
potius quam plurimi nunquam volvant
manu, aut vix oculis usurpent Legum
harum Germaniarum codicem, quo Juris
studiosus non magis carere potest,
quam libro, quod civilis, aut canonici
Ju-

Juris corporis metuit nomen. Ipse indignabundus sæpe audio videoque, cum magno studio Romani Juris difficultatibus involvi decora, subtilia & excelsa ingenia; nec improbo quidem hos conatus, sed laudo: hoc tamen pessime me habet, quod non pari diligentia, parive ardore juri patrio dent operam, atque eadem cura statum & Nomothesium nostræ reipublicæ non indagant, quæ antiquitates Romæ conantur perferutari. Neque etiam id ago, ut tyrones neglectis Juris Romani elementis ad Legum Germaniæ penetralia duci velim, quod obtunderet potius, quam lucem afferret: verum hæc mihi animo sedet sententia, illos, qui principiis Justinianæ Jurisprudentiæ imbuti sunt, mature patrio juri debere asvescere, æquali studio tractare utrumque, atque sic efficere, ut si publicis negotiis imponantur, non impares, sed apti hisce sint laboribus, & eas, quæ datæ sunt, rite expleant partes. Alia hodie Imperii facies est, quam in Justiniano jure nobis sistitur. Quis ergo tam ineptus foret, ut publicum Jus, quo hodie

die vastum illud regitur corpus, ex veterum Romanorum placitis, & Legibus Justiniani tradi discique posse sibi persuaderet? Quis tam ab omni ratione alienus est, ut jus Justinianum sufficere sibi crederet solum? At forte illis sufficiet, qui istius Juris cancellis, quod ad singulorum utilitatem pertinet, ac privatum audit, Jurisprudentiam includunt, atque Juris consulti nomen mereri se posse arbitrantur, licet, quid jus publicum ferat, non magis intelligant, quam quid rerum geratur apud ultimos Indos, ac Garamantas. Nolo mihi jam litem esse, cum hoc genere hominum, quos ipsa rei natura erroris maximi arguit, & convincit: hoc saltem assevero, nec illos carere Imperii Recensibus posse, cum his quam plurima comprehendantur, quæ privati Juris sunt, & longe aliter se habent, ac Romano jure constituta. Hi itaque si spissam harum Constitutionum alant ignorantiam, eâ contumelia sunt digni, quâ Quintus Mucius Servium tractavit: turpe esse Patricio & Nobili, & causas

fas oranti jus, in quo versaretur, ignorare. Sed utinam hæc objurgatio apud omnes id efficeret, quod apud Servium; quem postquam à Mucio reprehensus esset, Juri civili strenue operam dedisse, nominisq; æternitatem sibi hoc studio comparasse Pomponius testatur, novimusque omnes. Ne itaque de nobis hac parte querendi relinquatur locus, constitutum mihi est Recessus Imperii producere in cathedram, ut argumentum hæc æstate publicarum sint prælectionum. Animus mihi non est, omnia atque singula, quæ in illis latent, evolvere: quod nimis operosum foret, atque fortè averteret Auditorum animos, redderetque nobis hujus studii desertores. Verum hæc mei instituti ratio erit, ut Paratitla, quæ Nob. *Juris-Consultus Gryphiswaldensis Antonius Güntherus Fritzius* composuit, seqvar, atque summo quasi digito ostendam viam ad Legum harum interiora, in quæ illi, quibus ad Archiva, Actaque publica, quæ illis continentur, aditus patet, feliciore cum successu poterunt penetrare.

Cras

Cras, quod Deus optimus maximus felix & faustum esse jubeat! horâ III. pomeridiana lectionum faciam initium, atque hac septimana in prolegomenis occupabor. Post Férias ipsum libellum Fritzii exiguum mole, & levisimo pretio constantem aggrediar, operamque dabo, ut labores hinc ultra semestris hujus æstivi spatium non producantur. Vos verò, Optimi Commilitones, magnum in modum rogo, ut assiduitatem, atque attentionem mihi spondeatis. Promissi memor deinceps titulum de Regulis Juris sepositum tantisper interpretabor, privatam operam ita vobis consecrans, ut liberam integrumque sit omnia à me exigere, quæ è re vestra esse ipsi arbitrabimini. Benè valete! P. P. Wittebergæ Dom. Exaudi,
M DC XCIV.



V
I
S
T
O
I
I
I
I
H
S
I
P
I
C
I
O
N
E

38

~~4~~
L 12

LVCANISCHE BIBLIOTHEC




1745.

ULB Halle


3

001 968 920




SD
L 12





04
70
28



N. GUNTER. FRITZII,
in Academia Gryphisval-
diensi Prof. Publ.

RATITLA
CESSUUM
MPERII,

iam Studioforum Juris
patrii
formâ denuo recusa.



WITTEBERGÆ,
REMIAM Schrey/ & Hered.
EINR. JOH. MEIERI,
MDC XCIV.

16.94